

7360 fragmenta tria tituli eiusdem. Prope Vogheram *nel borgo di Casci*.

VOTIO

DAVERA

VIRGINI-SARCOPHAGO

Manfredi Voghera p. 70 ex schedis saeculi XVIII. Titulus num fuerit aetatis Romanae, non definio.

7361 rep. ad viam regiam *Casca Coscia*, nunc Vogherae apud Manfredium.

HIC REQ
I
PACE MVSI
VIXET ANN S
5 TI ET MENSES
R EO IECCI
EC

Manfredius misit hiatu non indicato.

LXXXVIII. COL. IVLIA DERTONA (Tortona). *Tribu Pomptina*.

I. Tortonae primus CYRIACUS epigrammata duo descripsit, quae relata ab ipso inter Mediolaniensia cum his ad compilatores eius pervenerunt.

II. ALCIATUS Mediolaniensibus suis eadem duo tantum epigrammata inseruit cum Cyriacanis accepta et in sola quidem recensione priore; nam in posteriore recte omisit utpote a Mediolanio aliena. At in eiusdem sylloge epigrammatum diversorum, quam servat Fea, quinque reperiuntur epigrammata Dertonensia, quorum tria hic codex solus servavit; nam qui Alciatina haec expilaverunt Cholerus et Apianus, haec non receperunt.

III. Codex OLIVAE saeculi c. XVI exeuntis ut alia ex his partibus, ita etiam Dertonensia epigrammata duo habet ex ipsis marmoribus petita. Ab auctario Marcanovae Genuate (v. p. 781) Dertonensia haec absunt.

IV. GRUTERUS (1602) in additamentis quas edidit inscriptiones Dertonenses, acceptas refert Cantonio (vide supra p. 629) subinde addens eum eas habuisse ex Merulae schedis vel etiam solum Merulam laudans. In editis Merulae schedisque paucis quae extant (cf. p. 627. 718) Dertonensia nulla comparent. — Una inscriptio, quam ex Puteani schedis Gruterus ait se edere, n. 7373 comparet item in Puteani sylloge scripta (cod. Paris. Dupuy 461).

V. Ioh. Ludovicus DA MILANO Tortonensis in libro perraro *historia della vita, martirio e morte di S. Martino e di S. Innocentio primi vescovi di Tortona ed altre cose appartenenti si alle antichità della religione come ad essa città* (Tortonae 1599. 4. pp. 186; est Mediolani in bibliotheca Brerae) in tractatu p. 161 seq.: *descrizione delle sepolture et altri marmi antichi ritrovati di presente vicino dove era anticamente la chiesa di S. Martino . . . et altri che si ritrovano nella città nostra di Tortona* eosdem omnino titulos rettulit iisdemque exemplis (v. inter alios n. 7369), quos ex Merulanis Cantoniis cum Grutero communicavit. Eos non ex edito libro Milani Cantonium descripsisse inde colligitur, quod versuum divisionem in n. 7366 Cantonianum exemplum retinet, non retinet Milanianum. Ceterum exempla recte excepta sunt versuumque ordinem quoque plerumque servant.

VI. MORIGIA in historia Mediolanensi edita a. 1594 (vide p. 629) quaedam proponit ex Tortona agro Tortonensi delata Mediolanium ad Viscontios.

VII. MAFFEIUS in museo Veronensi (1749) p. 370. 371. 486 Dertonensia epigrammata quaedam emendavit ediditve de visu.

VIII. Iosephus Antonius BOTTAZZI tres libros edidit, quibus harum partium antiquitates illustrantur: *le antichità di Tortona e suo agro Alessandriae* 1808 (4. pp. 320 et app. pp. 56); *osservazioni storico-critiche sui ruderi di Libarna Novi* 1815 (4. pp. 186); *degli emblemi o simboli dell' antichissimo sarcofago esistente nella chiesa cattedrale di Tortona* Tortonae 1824 (4. pp. 326). Sed auctor socors et parum fidus non

solum titulorum in ipso episcopio dudum expositorum plerosque neglexit, sed etiam eos quos edidit male habuit et imperita lectione et prava interpolatione (v. inter alios n. 7369. 7394. 7412).

IX. Comes Iacobus CARNEVALE et in edito libro *notizie storiche dell' antico e moderno Tortonese*, cuius non prodiit nisi primum volumen Vogherae a. 1845 (8. pp. 383) et in scripta *Illustrazione della diocesi di Tortona*, quam hodie servatam Tortonae apud advocatum Iosephum Pereles (*atti della soc. Lig.* vol. 4 p. LXXX) ipsam non vidi, sed unde excerpta a Wolfio exhibuit mihi Sanguinetius, complures titulos tamquam inventos Tortonae vel ad Tortonam aut ipsos attulit aut argumentum eorum indicavit, quos omnes constat aut mala fraude transpositos esse (ut Tortonae adiudicavit Cherascensem n. 7680, Doglianensem n. 7669, Bagiennorum a Durandio fictam n. 771*, alios) aut pessime interpolatos (v. e. c. n. 7432) vel adeo totos fictos. Argumenta titulorum, qui nulli fuerunt, apud eum relata non omnia attuli, sed quae sufficerent ad fraudis proprietatem demonstrandam (v. n. 772*—790*).

X. Nostra aetate societas archaeologica Genuae sedem habens ut de universa hac regione, ita etiam de Tortonensibus antiquitatibus bene meruit. Alia inde accepit submissa ab Henrico Wolf, qui Tortonae degens res antiquas in oppido agro dispersas diligenter exploravit, alia a Caesare de Negris Carpani, qui curiose subministravit inventa in effossionibus a. 1869 Tortonae institutis maxime extra urbem in via Vogheram versus in sepulchro aetatis Romanae. Ex his enim effossionibus omnia prodierunt a Negrio societati missa excepto unico titulo n. 7411 in ipsa urbe intra moenia reperto. Mihi autem beneficio eorum, qui societati praesunt, maxime Sanguinetii (qui Wolfiana item inseruit corpori inscriptionum Liguricarum, de quo infra dicemus) et advocati Desimoni, tam Wolfianarum schedarum copia facta est quam epistularum Negriarum.

Dertonam (sic Latini tituli auctoresque praeter Notitiam, in qua est *Tertona*; Graece dicitur Δερτών Artemidoro apud Stephanum Byzantium s. v., Δέρτων — codd. Δέρτων — Straboni 5, 1, 11 p. 217), quam Liguribus adiudicat Stephanus l. c., Taurinis nescio quo errore Ptolemaeus (3, 1, 35), supra p. 827 iam commemoravimus positam ad viam Postumiam, ut media esset inter Placentiam et Genuam. Cum eius viae institutione a. u. c. 606 Dertonae origines similiter coniunctae esse videntur, ut Bononiae deductio a. u. c. 565 coniuncta fuit cum via a. 567 a Lepido strata Arimino Placentiam. Velleius 1, 15 in recensu coloniarum cum ait *de Dertona ambigi*, interposuit ea verba inter deductiones certas a. 631 et 636. Artemidorus quoque (l. c.), qui floruit c. a. 650, commemoravit τὴν καλουμένην Δερτῶνα πόλιν. Mox aucta sunt oppidi commoda adiuncta via altera Dertonae a Postumia divergens ad Vada Sabatia, quam viam instituisse Scaurum a. 645 supra p. 826 vidimus. Stationes utriusque viae item ibidem rettulimus. Accessit ad has duas vias tertia item Dertonae a primaria divergens pergens Pollentiam enarrata in sola tabula Peutingerana sic: *Dertona* — . . . — *Foro Fulvi* (Valenza ad Padum) — XXII — *Hasta* (Asti) — XVI — *Polentia*. Hanc viam Fulviam dictam